Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

35,-193-4°
(LN bis 305)
ex 1 DA BOX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

AD SERENIS. PRINCIPEM CHRISTIANVM IV.

DESIGNATVM REGEM DANIÆ.

ΠΑΡΑΜΥΘΗΤΙΚΟΣ.

IOANNIS CASELII.

ROSTOCHII

In typographia Auguſtini Ferberi filij.

ANNO CIↃ IↃ XIIC.

MENSE MAIO.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

AD SERENISS. PRINCIPEM CHRISTIANVM IV. DESIGNATVM REGEM DANIÆ.

ΠΑΡΑΜΥΘΗΤΙΚΌΣ.

COgitabam, CHRISTIANE princeps, de bonis litteris ad te aliquid ſcribere, quod & ætati & dignitati tuæ conueniret, ſi quid depromere poſſem è ſcrinijs Muſarum eruditum, teq; in hoc ſpatio confirmare, quod admodum puer non infeliciter, vt omnes de te prædicant, ingreſſus es. Sic enim de me meritus eſt auus tuus maternus, VLRICVS Megapolitanus, dux noſter, princeps ſapientiſſimus, vt ſi quid viderem, quo te in litterarum ſtudio, in quibus aliquid forte poſſe videar, vt mihi in alijs nihil arrogo, adiuuem. Excitant quoq; me beneficia patris tui, regis munificentiſſimi: quæ obliuiſci, nec de perſoluenda gratia cogitare, nefas ducerem. Etſi enim intelligo, fieri non poſſe, vt pri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

natus regi gratiam referat, cuius opes exhauriri nequeant, cum illius pertenues omnino eſſe præ his neceſſe ſit: tamen magna etiam merita, fide & conſilio inferiores facilè compenſant: ne ſummis omnia à ſummo imperatore data, humilibus omnia negata eſſe videantur, & cauſa ſit, cur nos tranquillum animum habeamus, reges humanitatem accuratius colatis, vtriq; auctorem bonorum æquè veneremur, qui media cum extremis & infima cum ſummis ſapientiſsimè coniunxit, niſi ipſi ordinem cœlo præſcriptum petulanter & impiè violemus. Nec vero me hoc deterruit, quòd ab ineunte ætate ita tibi ſemper proſpectum fuit, vt externo conſilio nullius, nedum meo indigeres. Namq; vt non altius repetam, in iſta tua educatione deſiderari nihil poteſt. Inuenit enim pro paterna cura & ſapientia ſua tibi pater, & præfecit eximios viros, qui animum tuum regijs moribus & litteris imbuant, HENRICVM RAMELIVM & IOANNEM MICHAELIVM: in quorum

hoc modeſtia cum doctrina certat, in illo neutrius harum experte, diuina eloquentia cum vſu rerum maximo. Ego vero, quod alterutri minus gratum fore ſuſpicer, minimè faciam: immo in hoc mihi enitendum cenſeo maximè, quod vtriq; ſit gratiſsimum, cum quibus ſcilicet amicitiam religiosè colam: tum, quod ita de me ſunt meriti, tum propter doctrinæ ſtudia, in quibus illi quoq; mihi tantum tribuunt, vt meum in te ſtudium non ſolum probent, quod eſt hominum integerrimi animi, ſed etiam excitarint, quod tibi quoq; omnia volentium, & cupientium præſtare, atq; ab alio ſine inuidia præſtari, quæ ex vſu tuo eſſe quodam modo poſſint. Nec vero ſum ita mei amans, aut mearum virium neſcius, vt me cum tantis viris comparem, aut me in ea re, quam ipſi in manibus habent, plus intelligere exiſtimem: tamen cum in ſimili negotio verſatus fuerim, & ſapientiæ magiſtros quotidie in manibus ipſe quoq; habeam, libenter mihi iamdudum propoſueram id, quod initio dixi, vt in vſus tuos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

aliquid conſcriberem: quod ſi eſſet etiam ſuper-
uacaneum, vt exiſtimo, tamē ad te confirman-
dum excitandumq́; nonnihil facere videretur.
Declaraui vero idem ſtudium, etiam alijs tuæ
ætatis principibus, & interdum adultioribus,
idq́; ſemper ijs volentibus & iubentibus, quo-
rum intererat, ſine curioſitate. Non enim ea
ratio reprehendenda eſt, quæ ex beneuolentia
orta, in bonum finem deſinit, eius vtilitatem
reſpiciens, qui cum agas: præſertim ſi animus
ille ſimul ad reip. ſalutem directus ſit, cui &
omnes debemus omnia, & qui præſtat pluri-
mum, nec operam ludere, nec munus tenue ge-
rere videatur. Vtinam eo loco res ſint, vt
quod in animo habebam & cæperam id per-
texam potius, quàm piam quidem hanc, ſed
triſtem tamen, & animo etiam meo grauem
ſcriptionem ſuſcipiam. Rebus enim humanis
iam exempto patre tuo, adeo & regni & tuo
alieno tempore; nulla alia re magis tibi, quàm
conſolatione opus eſt. Præter igitur eam me-
dicinam, quæ ad manum tibi eſt, noſtra quoq;
ora-

oratione, ſiue præceptis ſapientiæ, ſi qua depromere valeamus, nonnihil ſubleuabere. Haud dubiè enim in maxima es triſtitia. Quis enim tam durus, & inhumanus, ſeu barbarus, vt amiſſo patre non grauiſsimè animo afficiatur? Credibile etiam, futurum ex interuallo, cum ſtatum præſentem per ætatem magis perſpicies, vt id vulnus admodum recrudeſcat. Non ſolum igitur præſenti malo medicina accuratè facienda eſt, ſed muniendus etiam animus aduerſus nouam atque validiorem acerbiſsimi doloris incurſionem. Non vtar autem, primo quidem illo, nec improbo, ſed pænè omnibus vſitato conſolandi modo, aut certe in eo non immorabor. Iubent enim, nos æquam ſortem omnium mortalium, oculis & animo contueri, & intrepidè ſubire, quæ omnes ſubierint, omnes ſubituri ſint: omnia ferre, quæ tulerint antè nos alij, quæque laturi ſint deinceps, quotquot nati ſunt, naſcenturque homines. Non ſolum cætera, quæ habemus bona, diuitiæ, honores, potentia, regna ipſa, ne ſingula recenſeam,

fluxa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

fluxa eſſe & caduca, & minimè noſtra, etiamſi quis in perpetuam eorum poſſeßionem ſe veniſſe arbitretur: ſed etiam, neq; de corporis noſtri ſtatu, neq; de ſpecie, neq; de viribus, neq; de valetudine quemquam ſibi aliquid certi poſſe polliceri: vitam deniq; ipſam, quæ illa continet omnia, & nos ipſos, quæq; ipſi ſumus, quotidie in certißimo diſcrimine verſari, & omni puncto temporis, quod dicitur, ſtare in acie nouaculæ. Hanc conditionem mortalium alij aliter deplorarunt, nobisq; ob oculos pinxerunt: non, vt puto, quo nos animis perpetuo torqueremus, ſed quicquid boni eueniret, boni conſuleremus, quicquid aduerſi, minus ſtomacharemur, & vt non effuſa quadam lætitia exultamus aduenientes in conſpectum ſolis, ita neq; abitum horreamus, aut execremur, ſed, vt ſole occidente ad ſomnum nos componimus, ita nos ad perpetuam quietem comparemus. Paſſim ille poëtarum princeps conditionem mortalium decantat: & alicubi genus humanum cum folijs arborum confert, quæ vel leui vento,

vel

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

vel certè anni tempeſtate decutiuntur, verno tempore renaſcuntur. Simonides cum volante muſca comparat, quæ quauis minima impulſione perierit. Sed Thebanus ille vates, admirabiliter omnia noſtra, & verè extenuauit. Id enim dixit, quo, ſi à nihilo abeas, nullum cogitando inuenias minus. Inquit enim, ſi modo grandiloquentiam poëtæ vtcunq; poſſumus verbis noſtris oſtendere: Quid quis eſt? quid non quis eſt? Homo vmbræ ſomnium. Dum quærit, homo quid, vel num ſit dubitat, vel nihil non fieri poſſe innuit: ſed demum affirmat, non vmbram eſſe, etſi in hac rei nihil ineſt, vt præ omnibus alijs nihil eſſe videatur, ſed vmbræ ſomnium, quod ipſum quid ſit, ſi cogitatione inuenire quis poteſt, quod fortè neq; ſomniantium quis, neque vigilantium poſsit, nullius tamen oratione exprimi poſſe videatur, nec eius quidem, qui vel minutiſsima quæque artificio verborum ante oculos collocare poſsit auditoribus. His igitur miſsis, ſiue relictis: relictis item alijs, quibus minui dolor ex-

B iſti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

iſtimatur; rectius opinor fecero, ſi cum in præſentia animum tuum à dolore abducere non valeam, quæ facultas tantum abeſt, vt in me ſit, vt ipſe quoq; animum meum ab omni triſtitia, ſi in te oculos conuertam, ſiue in regnum Daniæ, ſiue in viciniam, ſiue in publicum huius temporis ſtatum, haud facilè liberem, tamen in aliam conſiderationem abducam. Satius enim profectò eſt, vt quæ tibi præſcripſit pater, ea ſedulo agas, & quæ præcepta tibi poſthac daturus fuerat, aut conſideres ipſe, aut in eorum conſiderationem te duci libenter patiaris: quin quàm eximium regem Dania, quem tu patrem amiſeris, contuere, & cogita, non vt magis te animi crucies, ſed vt ad hoc exemplar tibi vitæ tuæ & gubernationis rationem informandam & exprimendam exiſtimes. Cui enim te ſimiliorem eſſe poſt omnium rerum opificem: Omnes enim reges & principes imperatorem ſummum, qui primus, vnus & ſolus eſt vera & IPSA MAIESTAS, tantò luculentior huius lucis fonte viſibili, quan-

K

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

quanto ſol ſcintillarum minutiſsima, (ſi modo ſolis ad conditorem vlla eſt comparatio, quam nullam eſſe, etſi nihil ferè in re omnium maxima videmus, hoc tamen videri nobis nos videre, aſſeuerare, ni fallor, ſatis tuto poſſemus,) fons maieſtatum & cœleſtium, quas mente paullum cernimus, quasq́; promicantes acie quoq; oculorum ſentimus, & terreſtrium, in quibus, vt præ his parua, præ prima minima dignitas eſt, ita præ cæteris longè maximæ, vereq; nobis venerandæ ſunt maieſtates, cultu maximo, ſiue ſecunda, vt ita loquar, adoratione, imitari oportet cura benefaciendi, beneq́; merendi perpetuo ſtudio. Ab hoc perfectiſsimo ſimulacro ſi abieris, à quo tamen, ne aberres, aut vt quàm minimum aberres, abire nunquam debes; cui quæſo te ſimiliorem eſſe conueniat, quàm ei, qui te ſui imaginem in terris reliquerit, & legitimum ſucceſsorem regni florentiſsimi? cum ille ſe vere regem geſſerit, Deiq́; apud ſuos populos vicarium: regem hominum, ipſum etiam hominem, qui ita muneris regij omnes

partes expleuerit, vt homo tamen, non vt nihil deſideres, ſed pleraq; laudes & diuina iudices. Sic etenim nos magnificè de tanto rege loqui decet, quod alios quoq; lecturos confidimus, vt vera dicamus, nec in aliquam nos aſſentationis ſuſpicionem mergamus, ſtudio tui, illiuſue cultu nimio. Pauca igitur delibabimus in hoc libro de regijs virtutibus patris tui, regis optimi. Hoc enim verbo tam ſimplici, vt putatur, nec tamen humili, quando ipſum boni magnum eſt & regium, quàm alijs, quæ ſine acceſsione meliorum, ſiue vſu legitimo boni in ſe nihil continent, ab opibus, à copijs, à potentia à multitudine & amplitudine prouinciarum petitis, vti & rectius eſt & malumus. Multi namq; ijs abundarunt, & hodie abundant, in quibus veræ laudis ne vmbra quidem fuit: quin horum plæriq; abuſi fortunæ bonis amplißimis ſempiterna ignominia nomen ſuum fœdarunt, vt ſe ſempiterna obliuione ſepultos mallent, ſi quis ad eos ſenſus eorum, quæ apud ſuperos geruntur, perueniret. Dicam primum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

mum, quod & principium & finis eſt. Nec enim obliuiſcebatur auctorem & largitorem bonorum, quibus abundè fuerat cumulatus, vt in rebus ſecundis faciunt pleriq; mortalium, nec deditus erat ſuperſtitionibus, vt vel ſimulacra adoraret, vel deos deáſue gentili conſuetudine ſibi fingeret, vel cærimonijs Deum coleret. Sciebat enim non hecatombis numinis iram placari, ſed caſtitate animi, & vitæ ſanctimonia, & perpetua officij functione. Sic igitur ille pietatem in Deum declarabat, quantum poterat: pro ſe & pro regno quotidie vota faciebat conceptis verbis, nec negotium tractabat, nec cibum capiebat, niſi implorato Dei auxilio. Nec facere vero ipſum quidquam hypocriticè res ipſa docebat. Itaq; prouidit, quod ſanctum regem decet, vt quam à patre, ſanctiſſimo rege, acceperat, eccleſiæ tranquillitas cuſtodiretur: non paſſus concertationes & contentiones in vulgus ſpargi, quibus animi & turbantur & diſtrahuntur, & vitæ conſuetudo non leuiter prophanatur. Proſpectum an-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

tè fuerat, ne ſacerdotes & qui darent operam ſacris litteris, egerent: eorum reditus auxit: non ſolum, vt nulli eſſet ad querendum locus, ſed omnes regi gratias agerent, quod haberent abundè, vnde viuerent, vnde ſuos educarent, vnde pauperi, amico, hoſpiti, benefacerent. Nec dubium argumentum eluxit paternæ pietatis in liberorum educatione, quos à teneris pietate ante omnia iuſsit imbui: & te cum primis, quem vti regno, ſic quoq; ſtudio ſapientiæ deſtinarat. Hanc enim pollicentur litteræ: & quod pollicentur, id præſtant etiam fidis cultoribus. Eas ego regias appellare ſoleo, quæ ciuiles cum ſint, quemuis de officio, reges vero etiam & quodcunq; munus publicum in ciuitate gerentes, de omni parte muneris ſui pleniſsime informant: aliæ etiam non falſo nominantur litteræ, quæ regem quoq; ornare mirificè poſſunt, perficere abſq; illis minimè poſſunt. Quæ præter has ſunt, vel eſſe perhibentur; bonarum litterarum appellationem non mereri iudicandum eſt: vt quæ in garrulitatem abeant, & vulgus

opi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

opinione ſapientiæ faſcinent, vitæq; hominum multis modis incommodent. Quin liberi regum educandi ſint ad imperium, hoc nemo ſanæ mentis dubitat: ſintne litteris educandi, vidi qui in dubium vocarent, ac certè, ſi id plæriq; ſtatuiſſent, magis vrgeri videremus ſtudium doctrinæ in principibus. Accedit, quòd cum priuatorum tum principum filios videmus, litteris inſtructos, nequiores factos, & ijs vſos, velut inſtrumento improbitatis & iniuriæ. Itaque ipſe optaui ſæpius, vt ingenioſiſsimi quiq;, ſed ij peruerſiſsimi animi, in litteris non proficerent, quibus neque ad ſe corrigendos, neque bono publico vterentur. Sic enim minus nocerent. Non enim machinarentur mali plurimum, qui ſe extricare artificijs non poſſent: etſi hæc non ſolum è doctrina, ſed etiam ex longo vſu petere conſueuerunt improbi & nati ad malitiam. Fertur LVDOVICVS XI. Galliæ rex, cum ſibi ſapere ſemper nimium viſus fuiſſet, & ex libidine plæraque potius geſsiſſet, vel ſenatu

incon-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

inconſulto, vel ſapientum conſilijs repudiatis, deprehenſo deniq; errore ſuo ex calamitatibus ſtultitia iſta ſua accerſitis, Carolum filium ita inſtitui voluiſſe, vt neſciret litteras, vt ne auxilium ex litteris peteret petulantiæ, & rectè monentes facilius audiret. Perinde mihi viſus fuit filio conſulere, quaſi qui gladio multos confodiſſet, ac propterea filium gladio accingi in perpetuum vetaret, qui, quem ille in amici exitium vertiſſet, hoc aliorum ſalutem vindicare poſſet. Addo, quod ſi rex ille modo litteras attigit, veras certè & ſalutares nunquam mihi deguſtaſſe vel primoribus labris videtur, quæ ſuum cultorem ab officio regis tranſuerſum agi non paterentur: etſi ſolæ munus boni viri & boni regis non explent. Quanto rectius igitur pater tuus, qui cum non eſſet expers litterarum, nec tamen eas percoluiſſet, te his ipſis plenius erudiri voluit, ætate hac tua tenera? non tamen, vt ſcientiæ primum locum tribueret, ſed virtutem in heroica iſta indole regiam intelligentia officij augeri vellet atq; omnem perfici:

quod

quod de te nobis pollicemur, futurumq́ non dubitamus, ſi ita perges, quemadmodum cæpiſti. Perge vero & litteras ipſe colere, & in regnis tuis etiam fouere, de imperio ſiue exemplo patris. Teſtari hoc primo loco poſſunt homines doctiſsimi & ijdem nobiliſsimi, quorum auctoritatem tantam eſſe apud ſe voluit, quanta eſſet eorum virtus & ſapientia. Quo vero omnium ordinum qui vellent in adoleſcentia litteris erudirentur, omnes prædicant, vt ille ſcholas, & veteres ornarit, amplificarit, & nouas condiderit, & cum primis doctores academiæ Hafnienſis perliberaliter habuerit, de exemplo veterum liberaliſsimorum regum: contra quàm paſsim hodie vili pretio conducti pleriq́ potius cum fame luctantur, quàm vt operam & tempus ſtudio ſapientiæ impendant & erudiendæ corrigendæq́ iuuentuti. Ita fit, vt hoc auaro & parum virtuti amico ſæculo, multi in primis ſcholis cathedras occupent, vt molliter dicam, & veluti abſq́ querela, non homines doctiſsimi, ſed male eruditi, magisq́ occu-

C pati

pati parandis vitæ neceſſarijs, quàm theſauris ſapientiæ. Quare, vt fontes ſint, ita riuuli. Talis enim prodeunt ad rerum ſacrarum & ciuilium tractationem, quales ex academijs mittimus. Quas, quantasq́; peſtes arceant à ſingulis, à familijs, à ciuitatibus, ab vniuerſo genere mortalium ſinceræ litteræ, quæ ſincerè cultæ fuerint, & quæ quantaq́; bona vnicuiq́;, domibus, rebuſq́; commoda, & vt omnia bona concilient, non neceſſarium eſt, hic exponere, etſi non eſt prorſus alienum. Audi tantum, quomodo Græcus poëta cecinerit: de cæſarie Apollinis fragrans oleum deſtillare: imo ipſam panacean: in qua vrbe illæ guttæ in ſolum decidant, ibi omnia eſſe ſalua & beata. Sic igitur Callimachus.

αἱ δὲ κόμαι θυόεντα πέδῳ λείβουσιν ἔλαια·
Οὐ λίπος Ἀπόλλωνος ἀποστάζουσιν ἔθειραι,
Ἀλλ' αὐτὴν πανάκειαν. ἐν ἄστεϊ δ' ᾧ κεν ἐκεῖναι
Πρῶκες ἔραζε πίσωσιν, ἀκήρια πάντ' ἐγένοντο.

Nihil dici potuit elegantius, nihil dulcius, vt in oratione numeris conſtricta & varijs depicta coloribus. Audiuiſti vero etiam, & ſæpe audies Platonem, grauiſſimè ſcribentem, & ex

re

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

re ipſa & ex te ipſo ita eſſe, aliquando cognoſces, ſalutẽ regni tui pendere è ſtudio ſapientiæ. Non enim aliud eſt, quod philoſophus aſſeuerat: eas demum beatas fore reſp., quibus ſapientes imperent, aut quorum principes toti ſint in ſtudio, non vmbratilis cuiuſdam, ſed veræ ſapientiæ. Paullo diutius te hoc in loco tenui, quem hac in re velim omnes igenij neruos intendere. Nihil enim te dignius, nihil tibi vtilius eſſe iudico. Nunc libeat etiam tibi porro in patris tui adoleſcentiã reſpicere. Ille igitur adoleſcens modeſte ſe & moderatè geſſit in omnibus erga omnes, æquales præſertim. Aequalium enim, vt natura fert, erat ſtudioſiſſimus. Neq; cuiquam contumeliam fecit aut iniuriam: vt paulo etiam opulentiorum & nobiliorum filij, cancellis educationis perruptis, amoribus ſe dedunt, minores præ ſe deſpiciunt & premunt: quod principum filij tutius faciunt, freti potentia. Nec quis arbitretur, me ieiunis laudibus FRIDERICVM afficere, quem vitijs & flagitijs id ætatis obſitum fuiſſe negem: qui nec re

 nec

nec verbo, nec in aula nec foris, nec ſerio nec ioco, nec ſobrius nec in vino quemquam læſerit: nec feruente illa ætate, nec deinceps vnquam. Etenim, à quo quis remouet, quæ cum officio pugnare videntur; vel virtutem ei aſsignat, vel virtutis ſtudium, quod cur minus in virtutibus numeremus, non video. Feci mentionem vini, quod malum, non ſanè ipſum vinum, ſed diuini illius laticis abuſus, noſtrarum gentium, & totius boreæ: etſi eradicatum è vita luxum omnem & moribus hominum, miſerè vellem, & maximè expediret: tametſi hoc malum latius etiam hodie ſerpit: atq; eo nomine olim non minus malè audijt omnis Græcia. In vino autem ille ſe non ſolum geſsit nunquam contumeliosè, ſed ſemper oſtendit animi ſingularem beneuolentiam ijs, quos probaret. Oderat autem aſſentatores & ſycophantas, qui ſe conſueuerunt inſinuare in animos magnatum, & in multis regijs, vel primum, vel tutiſsimum locum tenent. FRIDERICVS contra, & regnante patre, CHRISTIANO III.

&

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

& poſtquam regni gubernaculum, velut alta in puppi ſedens, ipſe direxit, vafris & verſipellibus remotis, viros graues, moribus quidem excultos, ſed tamen ſimplices, integros, in familiaritatem ſemper adſciuit, præſertim ſi ijdem quoq; vel arte militari, vel eloquentia, vel doctrina præſtarent. Raro enim eum cenſura de ingenijs & animis hominum fallebat, ac de quibus cauſæ dubitandi eſſent, eos vel in ſermone, vel in conſultationibus, vel in negotijs facile explorabat. Spectatos ex animo nunquam, raro ex oculis & conſuetudine dimittebat. Hos ille magni facere, hoc amare, hos comiter & humaniter tractare, hos ornare & verbis & beneficijs non deſinebat. Suorum primo loco rationem habebat, vt par erat: & vt pater liberorum habet: nec excludebat exules, viros honeſto loco natos, in quibus eluceret virtus: nec alios hoſpites, ita vt cuiq; ſuum locum, ſuum præmium tribueret. Non enim eum facile quiſquam regum æquabat munificentia. Præteribat enim malos, & malum potius meritos,

 qui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

*qui paßim malis artibus, puta adulatione, ca-
lumnia, iocis ſcurrilibus, inſulſis ſalibus, obſe-
quijs parum honeſtis, & quibus non præſtigijs,
non ſolum præmia virtuti, ſed etiam merce-
dem labori auferunt: quin miſeros etiam fa-
me enecant. Quin ſæpe regias ita exhauriunt,
vt reges ipſi deinceps egeant: quod dictu nouum
pæneq; abſurdum videretur, niſi obæratos hi-
ſtoriæ oſtenderent, & noſtra etiam ætas vide-
ret. Alij ita aurum in ærarium coacer-
uant, vt non ſolum virtuti & labori & hu-
manitati debitum negent, ſed ſuos etiam ci-
ues populoſque deglubant, quibus pacem & co-
piam omnium rerum largiri debebant, cum
cæterorum bonornm maximorum minimo-
rumq; procuratione. Dania patre tuo re-
gnante floruit, poſtquam bellum funditus ſub-
latum fuit. Bello enim nihil calamitoſius, in
quo etiam nunquam inferior fuiſſe videaris:
bellum mutua eſt mortalium inter ſe laniena:
quo vigente, & virtus, & litteræ, & leges, &
mercimonia, & cultus agrorum, & omnis*

feli-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

felicitas iacet: nec hæc niſi illo ſublato, reuocata pace, reſtitui poſſunt: tum demum ea ſeri oportet, nec renaſci, vt fruges, vno anno ſolent, pluribus opus eſt, & cultore aſsiduo. Bella autem pater tuus, regno primùm inito geſsit, quorum mentionem fieri audieris, pleniorem expoſitionem iam adultior accipies. Prius, anno abhinc vndetrigeſimo, quo cum patruo ADOLPHO confœderatus, coniunctis viribus ambo Ditmarſos ſubiugarunt, magno ſanè impetu, breui tempore. Olim autem illi iugum excuſſerant, iamq́ aliquot ſæculis nemini paruerant, maieſtate etiam imperij ſpreta, & copijs Holſatorum aliquoties deletis. Alterum erat multo grauius & diuturnius, quarto ab illo ortum anno, inter FRIDERICVM II. Daniæ, & ERICVM XIV. Suetiæ, reges: cauſa fuit, vt ſcintilla magni incendij: geſtum terra mariq́ acriter: terra ceciderunt vtrinque non pauci: mari multa millia, claſsibus ſe mutuo atterentibus: vt non naues ſolum ſanguine cæſorum manare, ſed etiam mare ad pugnæ locum

ali-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

aliquoties cruentum viſum fuerit: aliâs alij erant ſuperiores, neq; dum alea Martis alterutri fauebat, donec aliô ferebatur mente ERICVS, princeps ignei animi, pæneq́; ſupra conditionem hominis tendens. Hoc tragico caſu factum fuit, vt frater IOANNES III. regnum adipiſcens, bellum, quod non mouerat, nec quando motum iam fuerat & maximè flagrabat, deponere, vtut vellet, poterat, acciperet, & perſequeretur, ſiue defenderet, quoad plurium regum & Europæ principum auctoritate, pax inter duos reges ad boream vicinos, ſancita eſt: quod initio belli ſtatim ſine ſucceſſu tentatum fuerat, miſsis Roſtochium, vbi hæc ſcribo, ſplendidiſsimis legationibus: tandem tamen illa ſeptem poſt annis coijt: quos reges & populos tam vicinos, linguæ tanta ſimilitudine, vt vna eademq́; eſſe videatur, vt principum familiarum conſanguinitate coniunctiſsimos, in perpetuum ſumma religione pacem colere oportebat: quemadmodum ex illo tempore hactenus factum fuiſſe animaduertimus. Nec

bellum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

bellum interea pater tuus,cum optatum vtriuſque illius finem vidiſſet, mouit,nec optauit,nec metuit. Nec vero artis imperatoriæ ſtudium abiecit, ſed hoc diligentius coluit, quo magis neceſſarium eſſe regi intellexit, tum ad propulſandos hoſtes à ſuis populis,tum ad aſſerendam libertatem confœderatorum, vel vicinorum, vel amicorum. Igitur ſemper prouidit,vt cum alia, quæ ad bellum pertinerent, haberet in promptu, tum qui nerui eſſe belli iudicantur. Cum tamen ipſe iudicaret, plus eſſe poſitum in ipſis viris, habuit apud ſe in honore nobiles belli duces, & centuriones, & alios viros fortes, qui ipſum contra colerent, à quo videlicet, ſe quoq; pendere, non infitiarentur. Claſſem iam habuit pluribus annis inſtructam,vel ſic certè ſemper in promptu,quæ ad eam inſtruendam pertinerent,vt ,ſi opus eſſet , paucis diebus inſtructiſſimam è nauali in altum ſubduceret. Itaque & terrori hoſtibus eſſet ,ſi qui eſſent, & præſidio Daniæ, cæteriſq; ſuis prouincijs, nec opes ſuas negaret alijs , quibus deberi arbitraretur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

Quin auxilia oſtendit non obſcurè & amicis in Germania, ſeu potius imperio Germanico, cui multiplex periculum non ex vno loco, nec à parua potentia, imminere iudicabat, monebatq́; ſapienter, ne exitium prius ſentire, quàm de calamitate propulſanda cogitationem ſuſcipere mallemus. Ac ſanè verum eſt, vnum Promethea præſtare mille Epimetheis. Non eſſe tamen Promethei aſſero, omnia habere ſuſpecta, quæ tuta ſint: etſi, cum quæ tuta ſint, non facile homo quiſpiam aſſeuerarit, omnia videantur eſſe cauenda, quaſi omnia plena fraudum ſint & inſidiarum: ſed cum certa ſigna exſtant imminentium malorum, eáque multa, ſiue ſimul, vt interdum fit, ſiue vnum ex alio, vt ſæpius, quæ vt æſtus corporis febrem & atra nubes tempeſtatem, ſic illa calamitatem & rerum exitium denunciant; ibi ille expergiſcitur, ibi ſomnum minimè capit, ibi verſat oculos ad omnes partes, ibi tum minimè ſedet otioſus, parat omnia, quibus aduerſus technas & impetum

hoſti-

*hoſtilem opus ſit, copiam conſilij & poten-
tiam, non vt eos adoriatur prior, nulla dum
aliorum laceßitus inſigni & manifeſta iniu-
ria, quos metuendos iudicat, & ſuſpectos plu-
ribus de cauſis habet, ſed vt eorum audaciam
ſua vigilantia & apparatu comprimat, aut
hoſtiles molitiones facilius ſuſtinere, & in
nihilum queat redigere. Huiuſmodi vi-
ctoria triumpho potior eſt, quem vel rex iu-
ſto exercitu hoſtium fuſo, ablatis etiam opi-
mis ſpolijs imperator agat. Sed hoc forte
præter rem: ad rem pertinet, quod vides: vt
cum artes pacis non negligas, ad artes etiam
belli te matura ætate, id eſt, potius à primis
annis conferas: quorum vtrumque aut ne-
gligi prorſus, aut non ſatis dextrè, nec ſatis bo-
no ordine tractari, in educatione principum,
& tam periti duces militiæ, quàm ſpectati
viri in ſenatu, queruntur, & ſiue curiam
ſpectes, ſiue caſtra, res ipſa docet. Quotus e-
nim quiſque ad gubernandum accedit, vt legibus
& ratione in ſuis terris omnia feliciter con-*

 ſtituat

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

ſtituat, hoſtium inſultus potentia & arte fran-
gat, vtrobiq; conſilio abundans? cum tamen v-
trumq; ſit officium regis & cuiuſq; moderato-
ris reipublicæ. Sic etiam enim Homerus ad
vtrumq; tempus reſpiciens, Agamemnonem
præclarè pleneq́; laudat, qui excellat in vno non
minus, quàm in altero, quòd regis pacifici ma-
ieſtatem, & imperatoris dignitatem rectiſſimè
tueatur. Cæterum, vt pater tuus in rebus bel-
licis, etſi conſilio valebat præ omnibus, tamen
audiebat cæteros, nec aliorum conſilia aſperna-
batur, quorum etiam manu vteretur, peritia
rei militaris præſtantium: ita tranquillis re-
bus (durauit enim pax annos duodeuiginti,
nec vel inteſtino motu interea turbata, aut ex-
terno impetu interrupta fuit,) de ingenio &
voluntate ſiue libidine ſua omnia moderatus
fuit, ita vt mandarit, quæ fieri iuberet, &
alios contempſerit, ſed in rebus ad ſalutem regis
& populorum pertinentibus ſenatū cupidè con-
ſuluit, neq; decreuit aliquid abſq; auctoritate
primi ordinis, cuius ſuffragijs ille tum & dia-

dema

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

derna gerebat & ſceptrum tenebat, tu iam deſignatus es ſucceſſor patris. Hoc vnuſquiſq; rectè factum iudicabit. Partitur enim vnus, & laborem, qui in vnum non cadit mortalium, & honorem cuius parte dignos honeſtare, non leuis ipſe honor eſt, partitur in plures, vt ſingula rectè gerantur, & ſit quaſi legitima compages omnium ordinum: quod pluribus explicare, longius foret, & plenioris doctrinæ. Sanè qui ſenatum princeps non habet legitimè lectum (nam qui ex mancipijs & adulatoribus, & ſycophantis ſenatum conflarit, ille non ſenatum habeat, ſed humiles adminiſtros ſuæ libidinis) nec legitimi ſenatus auctoritatem ſequitur; regis forte nomen retinet, tyranni animum induit: atq; vt canis, cui ouile creditum ſit aduerſum lupos, in rabiem actus, ſi oues laniet, non cuſtos amplius, ſed pro lupis ille ſit, vt pelle canis tectus, ſit ſub natura lupi abſconditus. Non ſolum abſq; ſenatoribus nihil decernebat rex optimus, ſed etiam ſine ijs nunquam erat, omnibusq; vtebatur familiariſſi-

mè, vt inter ſe maiore humanitate nec vterentur, nec, credo, vti poſſent, quàm qua rex erga illos vteretur: vnde hoc quoque natum fuit boni, vt & in priuatis ſermonibus & in ſenatu quiſque liberè diceret, quod ſentiret: hic grauiter, vt loco conueniret, illic etiam ſuauiter, vt amicitiæ legibus eſſet conſentaneum. Colebat enim amicitiam cum ſenatoribus regni multisq; alijs viris præſtantibus, ſincere, non eam, quæ eſt quaſi in inferiores ſuperiorum, ſed hanc, quæ parium: ita ſe alijs non ſimulatè, ſed ex animo æquabat, quod non ſolum vultu beneuolo & comitate verborum, ſed etiam re ipſa ſemper oſtendit: idem volebat ab illis fieri; ſi non omnibus rebus poſſent, ſaltem dicendi & agendi libertate, quæ certè liberis hominibus adimenda non eſt, quoad nec voluptati, nec ambitioni, nec auaritiæ ſeruiunt. Nam de ijs nihil dixerim, qui rectè non agunt. Qui enim verè iudicium de rebus humanis faciunt; eos non iam in liberis, ſed in mancipijs numerant. Nec illi tamen non no-

ue

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

uerant & regem & amicum ſuum, ſeu regem amiciſsimum, vt amicum colere, vt regem venerari. Nota res eſt, & decantata: & primatum regni querelæ hodie per ora hominum in Germania volant: non de rege, ſed de regis optimi & cariſsimi obitu, tam alieno, tam immature. Quod enim principes regni, quod ex ijs plures, quod ijdem ſæpius loquuntur; id latere non poteſt. Sic igitur illi, magno cũ animi dolore: regem, proh dolor, ſe amiſiſſe: nec iam regem, ſed patrem: non patrem ſolum, ſed & fratrem germanum. Teſtimonium locuples, & de beneuolentia regis erga ſuos, & de affectu procerum erga regem: locuples, inquam, & memorabile, ex quo & rex quilibet erudiri poteſt, & tu vero hæc tua tenera ætate cum primis: quanto magis à ſenatu tuo pendes, et pendere omnino debes, vt ipſe saluus ſis, et ſalui ſint populi tui. Aduerte enim: nec dicerem, quamuis cum ſapientiæ decretis conſentiens, ſi mihi primum in mentem veniſſet: vix auderem, ſi à claro quodã ſapiente accepiſſem: ſed quia ab ore diuino profectũ eſt,

non

non eſt, neq; quod ego proferre cuncter, neque quod tu inuitus audias, vel te audientem non animet potius ad diſciplinam, quàm ab inſtituto deterreat. Hoc autem illud eſt: miſeros populos, quibus puer præſit: ac ne quid tegam: væ terræ, cuius rex puer eſt. Iam vero tu rex, tu puer: abſit vero, vt tibi, vt tuis malè ſit: tu viuas, & tui tecum floreant. Pium vero hoc, neq; abſurdum votum, neque non tamen illud verum. Regem te eſſe gaudemus: puerum te eſſe nolumus, etiamſi annis hodie puer es. Hoc enim aut non illud eſt, aut non prorſus illud eſt: nec eiuſmodi calamitatem importet prouincijs tuis. Nos vero nouimus, adoleſcentes, viros, & ſenes etiam pueros, quorum mores nulli aut nouelli ſint, peruerſi animi, conſilia improba, vita imperita rerum, impura, facinoroſa, impia: de quibus non dicam pluribus. Tu minimè es in his pueris: abſit, vt ita puer ſis, vt qui pueri eſſe non deſinunt. Agnoſcimus te ætate puerum: in pueritiam vt neq; vires corporis, ita neq; ſcientia adminiſtrandæ ciuitatis ca-

dit.

dit. Quod cum etiam intelligas; neq; velis cominus armis cum robuſto milite congredi, neq; tenellis manibus regni totius clauum dirigere coneris: ſed iubeas & obſecres artis gubernatoriæ peritos, tuam vicem ſubire, non ſolum probes & ames, qui id vltro faciant, donec & annis & animo perfectus, omni munere regio fungi ipſe poßis. Hic puer es, & rex, quo puero & rege regnum minimè pereat, nec minuatur, ſed acceptum à patre ſtatum teneat: quod ſi aliquid, conſilio tui ſenatus, quod idem conſilium tuum eſſe arbitraberis, felicitatis accedat, gaudeas, & à te profectum ſtatuas, ac deinceps, vbi adoleueris, prudentia quoq; tua, à cuius cenſura ſenatum nulla vnquam ætate excludes, dabis operam, vt quantum ætati tuæ accedet, tantum etiam accedat, & tibi virtutis regiæ, et regno tuo felicitatis. Sic nemo te puerum eſſe, nemo fuiſſe queri poterit: atq; hoc verbum neq; ad te pertinuiſſe, neq; ad tuos pertigiſſe, intelliges. Iam vero etiam illud tibi, quod videri poterat amarum, mea & ſincera ſanè interpre-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

tatione emollitum, melle dulcius videri poteſt, & ſic omnino videri debet: quin de die in diem tibi magis dulceſcet, quando longius ab ætatis pueritia abieris, et ab altera inſcitiæ atq; imperitiæ te remoueris, et in earum virtutũ poſſeſſinem veneris, quibus rectè viuitur, & regna dexterrimè gubernantur. In his prælucet Iuſtitia, & igneos radios longè iaciens luce ſalutari populos complet: atq; illã propterea etiam cum Lucifero compararunt priſci ſapientes. Iuſtitiam autem coluit pater tuus, & coli ab omnibus voluit. Sic enim omnes honeſtè vitam colerent, & omnis querela tolleretur, ſi vel iniuria nemini à quîquam fieret, quod eſſet perfectis omnibus inciuitate, res inter mortales non audita vllo ſeculo aut loco, vel ſi fieret, qui eam faceret, impunè non auferret, ſed quàm peccaſſet grauiter, tam graues ille pœnas daret: quod probaſſe vnum ex iudicibus iuſtiſsimis Rhadamanthyn accepimus, etſi multò antè diuinitus ſancitum à Moyſe, ſi quis vtrumq; non perperam, neq; verbo in-

hærens

hærens, ſed mentem vtriusq; eruditè ſpectans, interpretetur. Ne vero quid negligeretur, conſtituit viros graues, & iuſtos, præſides omnium regni partium, vt ne angulum quidem improbitati tutum, ſiue licentiæ ſacrum, reliquerit: vicus non fuit, in quo non ſuo tempore legitimum iudicium exerceretur. Quod diſcerni non poßit à primis iudicibus, quibus quiſq; ſubijcitur, ordine ad proximos deuoluitur. Si cauſæ grauitas poſtulet, eſt ſenatus regni. Si deniq; aut negotium ita arduum, aut homines illi eſſent primorum ordinum, vt regis auctoritatem accedere oporteret, non difficilem ille ſe prŏbuit, nec defuit ſuo muneri: & in ciuilibus ius æquum dixit, neq; ſine legibus, neq; ſine ſenatu, quod illas eſſe normas ſententiæ deceret, hos illarũ peritos interpretes, et in criminibus pœnas irrogauit iuſtas, et in pœnis ſe acriorem geßit, quàm fortè alia ætas probaſſet, ſed ducem iuſtitiam habebat, conſuetudini locum dabat, quæ iuſtitiæ non officeret, et feneſtram nouis iniurijs non aperiret. Nec vero minus

clemens fuit, quàm iuſtus: ibi veniam dabat, vbi veniæ locus erat, vt maieſtati iuſtitiæ nihil decederet: ita iuſtè ſententiam ferebat, vt à crudelitate abeſſet. Nec ita eos audiebat, qui genere, opibus, potentia valerent, vt alios vel humilitate, vel paupertate, vel ſolitudine excluſos tacere vellet: nec etiam miſericordia calamitoſis, neq; gratia primoribus plus iudicando tribuit: ſic fauebat optimatibus, vt à nemine tamen quemquam è plebe premi pateretur, ſic miſerebatur tenuium, vt eos non minus facere, quod rectum eſſet, iuberet: ſic illi ad humanitatem indies accederent propius, hi ab officio numquam diſcederent. Etſi autem, de quibus dixi, diſertius poteram & vberius etiam dicere, & habeo præterea alia, & bona & vera, quæ recognoſceres libenter, & ad imitandum tibi in vita proponeres: tamen cum perſcripſerim pleraq;, quæ volui, (neque enim omnia volui, nec volui, vt potui, nec poſſem tamen, vt vellem & res poſtulat) iam te dimittendum cenſeo, non prorſus his ſatiatum, ſed

tamen

tamen non omnino ieiunum laudis paternæ & conſolationis. Pater vero ipſe, niſi fallor, vel eadem tibi mandaret, vel ab his non diuerſa: quin aliquoties ex eo te ſimilia audiuiſſe non dubito, mirificè tamen ad captũ ingenij ætatisq; tuæ accommodata. Quodſi, cum intelligeret, ſe proprius abeſſe à fine vitæ, quod aliquot diebus antè intrepidè acceperat et ſenſerat, præſto ipſe fuiſſes, cum eſſes vltra ſinum Balticum in Iutia, neq; grauißimum patris morbum cognoſceres, neq; ſi cognouiſſes, per ſæuißimam tempeſtatem traijcere potuiſſes: ſed ſi adfuiſſes decumbenti, affaretur ille te in hanc ſententiam. Vides, CHRISTIANE fili, quo loco ſim: non ita hoc te turbet, vt lacrymes potius, quàm, quæ te monebo, audias: mihi hinc migrandum vides, cui tu longius vitæ ſpatium optes, quemq; & regni & tua cauſa plures annos ſupereſſe expediat, vt nos quidem iudicemus: ſed aliter viſũ fuit maximo noſtro regi, vt ſic ſatius eſſe, forte iudicetur rectius: tu manes, qui mihi ſuccedas, puer admodum, impar tan-

Proſopopeia, quæ fortaſſa fuiſſet Regis Friderici in extremis cohortatio ad filium.

 to

to oneri: abiero iam antè, quàm tu annum duodecimum inieris: vt puer ſis, audi tamen, & hoc attentius audi, quod poſthac me nunquam audies, & paulo poſt me talem non aſpicies amplius: audi igitur, & memineris, quæ nunc potiſſimum dicam, quem meminiſſe ea quoq; velim, de quibus vnquam te antè monuerim. Initio igitur, cui me totum nunc trado, à quo habui & vitam & regnum & omnia, cuius in perpetuum futurus ſum, quando nihil eſſe vobis videor: hunc tu quoq; venerare, eius auxilio nitere, ad eundem refer omnia: nec id hodie tantum, ſed quoad frueris hac luce: in quo ſi perſeuerabis, reliqua erunt facilia. Cui enim nihil difficile, ex omnibus te mirificè expediat: faciet hoc, ſi tu officium facies. Nunc tui officij eſt, vt quemadmodum tibi præſcripſi, ex quibus iuſſi, fide, virtute, & litteris præſtantibus viris, quæ officij ſint, et quæ regij officij, diligenter diſcas. Probatur mihi itemq; alijs tuum in litteris tirocinium. Hæ quantum tibi collaturæ ſint, quotidie magiſtri tui te docent:

pectus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

pectus tuum ab iracundia, cupiditatibus et fal-
ſis opinionibus expurgabunt: eædem te virtute
imbuent multiplici, temperantia, fortitudine,
iuſtitia, prudentia, vt voluptatibus ratione
imperes, vt hoſtiles impetus & alia aduerſa ſu-
peres, vt neminem ipſe iniuria afficias, nec a-
lios facere ſinas, æquum ius omnibus diuidas,
vt conſilio abundes, ſiue domi quid oriatur ma-
li, vt ſi fames, lues peſtilens, motus inteſtini,
ſiue foris bellorum metus ingruat: ipſæ animo
te inflammabunt, vt omnis tibi labor iucun-
dus ſit, principio de tuis populis, qui mei nunc
eſſe deſinunt, et de genere mortaliũ benè meren-
di. Sis dicto audiens pueritiæ tuæ formatoribus:
et quamuis rex eris, regi velis, ſed omnino ad-
huc, quàm regere, regi malis: ſic eris ille rex,
quem Daniæ opto, te eſſe cupio, parem mihi, vel
ſuperiorem. Antè quam animo regem indu-
eris, & arte omni regia te inſtruxeris; ſenatus
gubernaculum teneat, me nunc iubente, te pro-
bante et animaduertente, vt quæ rectè geri vi-
des, rectè quoq; diſcas gerere. Vbi ado-
leueris, & ordinibus viſum fuerit, ſic ipſe
cla-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

clauum torque, vt ne fideliſſimi ſenatus conſilium quocunq; genere ventorum parui facias, ſed auro contra æſtimes: quin theſauris habeas precioſius. Præter hunc ne tibi ſenatum alium pares: hic paternam meam beneuolentiam ſenſit in omnibus: eiuſdem ego fidem & prudentiam expertus fui: illis me credidi, ijſdem te credo: tu ijs rectè credes omnia. Qui hoc carpent, qui bonos calumniabuntur; improbos puta, in conſilium ne adſciſce: & ab ijs tibi caue, qui ſe tibi offerent, qui te in os laudabunt, qui ſe tua admirari ſimulabunt. Hoc genus principes in lubrico collocat, euerſionem rerũ florentium molitur, facilè regnum conuertat in tyrannidem & felicitatem in miſeriam. In hoc, vt me geſſerim, nec me pœnitet, & boni prædicant. Facit amor hic paternus, vt te de quibuſdam moneam: omnia dicere non licet per fati accelerationem. Quo de plæriſq; erudiaris probo filio dignum feceris, ſi meis veſtigijs fueris ingreſſus. Partim memineris rationes meas, partim de ijs alij te docebunt. Non facile

cilè aberraris, in pluribus me ſecutus: ſi tamen vel rato te docebit, vel prudentes tibi oſtendet, potuiſſe aliquid à me rectius adminiſtrari; tantum abeſt, vt te ibi meum exemplum intueri velim, vt te quoq; obteſter, ne quid tentes, neq; in animum inducas, quin ſit rectiſsimum, & ad decus directum atq; vtilitatem publicam. De multis quoq; te monebit auus maternus: qui cum auctoritate valeat in imperio Germanico: apud nepotem valere debet maxima: ab hoc te pendere, tibi honeſtiſsimum eſt, à quo pendent tam multi principes, qui eum non iniuria pro aliquo imperij Neſtore habent et colunt. Pium te eſſe in matrem iubeo, cui hoc maximo ſolatio erit in iſta ſolitudine. Fratres ama, vt par eſt, qui te amabunt mutuum. Iuſtitia et merita charum tuis te populis facient: verum illam ne alij quoq; deſiderent: nec vero vicinos iniuria affice, nec longinquos. Ita & tui te amabunt, neq; exteri oderint: ita non laceſsitis exteris ſumma pace frueris, & tuis adempta omni ad querendam cauſſa, cura tibi & labor imperij

minuetur. Sed me non animus, ſed vires paulatim deſerunt. Tu horum omnium, CHRISTIANE fili, in perpetuum memor vale.

Siue igitur te tali oratione, CHRISTIANE REX, ſi adfuiſſes, fuiſſet allocutus pater, de filio, de regno, ſollicitißimus, ſiue per grauitatem morbi continuare ſermonem minus potuiſſet: tamen ſic habe, me ſine dubio ſententiam ipſius optimæ voluntatis ſedulo fuiſſe complexum. Quod ſi ab his non diſcedes: patri religioſè obtemperaueris, & omnes muneris regij partes diuinitus expleueris. Ego te ad hanc conſiderationem ducere malui, vt à lachrymis & luctu abducerem. Quod ſi conſequor, non minus te conſolatus, quàm cohortatus fuero, & cum dolorem nonnihil minuero, tum quoq; animum tuum ſapientiæ præceptis informaro, quæ modo cognoſceres, vſurpares deinde adultior. Vberiora accipies ab ijs, quibus hoc dies noctesq;

curæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

curæ eſt, donec per te haurias vberrima ex ipſis fontibus, quæ ſunt monumenta ſapientum. 15. Sept: 1646.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 305 [35,-193 4°]